

loquendo propagetur. Ad extremum vero superest, ut perfecta quaeque opera consideratio propriae infirmitatis deprimat: ne haec ante occulti arbitri oculos tumor elationis extinguat. Sed quia sunt plerique mihi imperitia similes, qui dum metiri se nesciunt, quae non didicerint docere concupiscunt; qui pondus magisterii tanto levius aestimant, quanto vim magnitudinis illius ignorant; ab ipso libri hujus reprehendantur exordio: ut quia indocti ac praecipites doctrinae arcem tenere appetunt, a praecipitationis suae ansibus in ipsa locutionis nostrae janua repellantur.

CAP. I. NE VENIRE IMPERTI AD MAGISTERIUM AUDEANT.

Nulla ars doceri praesumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum. Quis autem cogitationum, vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen saepe qui nequaquam spitalia praecepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt: dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt. Sed quia auctore Deo ad religionis reverentiam omne jam praesentis seculi culmen inclinatur: sunt nonnulli, qui intra sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris; videri doctores appetunt, transcendere ceteros concupiscunt, atque, attestante veritate, primas salutationes in foro, primos in coenis recubitus, primas in conventibus cathedras quaerunt: qui susceptum curae pastoralis officium ministrare digne tanto magis nequeunt, quanto ad humilitatis magisterium ex sola elatione pervenerunt. Ipsa quippe in magisterio lingua confunditur, quando aliud discitur, et aliud docetur. Quos contra Dominus per Prophetam queritur, dicens: ipsi regnaverunt, et non ex me: principes extiterunt, et ego ignoravi. Ex se namque, et non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine